



EPISTOLA CXXX.*

* *Avias*
CXXI. quæ
autem 130.
erat, nunc
144.

Augustinus Probæ viduæ diviti præscribit
quomodo sit orandus Deus.

AUGUSTINUS episcopus servus Christi, ser-
vorumque Christi, religiosæ famulæ Dei a
PROBÆ in Domino dominorum salutem.

Scripta an.
411. aut
412.

CAPUT I.

1. **ET** petisse te, & promississe me reco-
lens, ut de orando Deo ad te aliquid scribe-
rem, ubi tribuente ipso quem oramus, tempus
facultasque concessa est, oportuit ut debitum
meum jam jamque persolverem, & pio studio
tuo in Christi caritate servirem. Quàm me au-
tem latificaverit ipsa petitio tua, in qua cog-
novi quantam rei tantæ curam geris, verbis
explicare non possum. Quod enim majus oportuit
esse negotium viduitatis tuæ, quàm per-
sistere in oratione nocte ac die, secundùm
Apostoli admonitionem? Ille quippe ait: *Quæ
autem verè vidua est & desolata, speravit
in Domino, & persistit in oratione nocte ac
die.* Unde mirum videri potest, cum sis se-
cun-

a In Africam ex Urbis excidio fugerat Proba cognomi-
ne Faltonia, Probi præfecti prætorio, & an. 371. consu-
lis ordinarii conjux, avia Demetriadis virginis, ipsiusque
matris Julianæ non verè mater, sed socrus ex Augusti-
no in lib. *De bono viduitatis* c. 19. necnon ex Hiero-
nymo in epist. 8. ad Demetriadem, ubi hanc Olibrio
Probæ filio natam esse significat: subinde verò genus ejus
amplissimis laudibus prosecutus ait: *Probæ illa omnium
dignitatum & cunctæ nobilitatis in orbe romano nomen il-
lustris: cujus sanctitas & in universos effusa bonitas,
etiam apud barbaros venerabilis fuit; quam trium libero-
rum Probini, Olibrii, & Probi non fatigaverunt ordinarii
consulatus &c.*

eundùm hoc sæculum nobilis, dives, tanta-
que familiæ mater; & ideo licet vidua, non
tamen desolata; quomodo occupaverit cor
tuum præcipuèque sibi vindicaverit orandi
cura, nisi quia prudenter intelligis, quod in
hoc mundo & in hac vita nulla anima possit
esse secura.

2. Proinde qui tibi eam cogitationem de-
dit, profectò facit quod discipulis suis, non
pro seipsis, sed pro humano genere contris-
tatis, & desperantibus quemquam posse sal-
vari, posteaquam ab illo audierunt, facilius
esse camelum intrare per foramen acus, quàm
divitem in regnum cælorum; mirifica & mi-
sericordissima pollicitatione respondit, Deo
esse facile quod hominibus impossibile est.
Cui ergo facile est, ut etiam dives intret in
regnum cælorum, inspiravit tibi piam sollici-
tudinem, de qua me consulendum putasti,
quoniam modo esset tibi orandum. Ille nam-
que cum etiam hinc adhuc esset in carne, Za-
chæum divitem in regnum cælorum misit, &
resurrectione atque ascensione glorificatus,
multos postea divites impartito Spiritu sancto
fecit hujus sæculi contemptores, & finita divi-
tiarum cupiditate ditiores. Quomodo enim tu
sic studeres orare Deum, nisi sperares in eo?
Quomodo autem sperares in eo, si sperares
in incerto divitiarum, & contemneres præcep-
tum saluberrimum, quo Apostolus ait: *Præci-
pe divitibus hujus mundi, non superbe sape-
re, neque sperare in incerto divitiarum, sed
in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abun-
danter ad fruendum; ut divites sint in ope-
ribus bonis, facile tribuant, communicent,
thesaurizent sibi fundamentum bonum in fu-
tuum, ut apprehendant veram vitam?*

Matth. 19.

Luc. 19. 9.

1 Tim. 6. 17.

DE-

CAPUT II. 3. DEBES itaque præ amore hujus veræ vitæ, etiam desolatam te putare in hoc sæculo, in quantalibet ejus felicitate verseris. Nam sicut est illa vera vita, in cujus comparatione utique ista quæ multum amatur, quàmlibet jocunda atque producta sit, nec vita dicenda est: sic est etiam solatium verum, quod per Prophetam Dominus promittit dicens: *Dabo illi solatium verum, pacem super pacem*; sine quo solatio quæcumque sunt terrena solatia, magis in eis desolatio, quàm consolatio reperitur. Divitiæ quippe atque fastigia dignitatum, ceteraque hujusmodi quibus se felices esse putant mortales veræ illius felicitatis expertes, quid afferunt consolationis; cum sit eis non a indigere quàm b eminere præstantius; quæ plus excruciant adeptæ timore amissionis, quàm concupita adeptionis ardore? Talibus bonis non fiunt homines boni, sed aliunde boni facti bene utendo faciunt ut ista sint bona. Non sunt ergo in iis vera solatia, sed ibi potius, ubi vera vita. Nam INDE NECESSE EST ut fiat homo beatus, unde fit bonus.

4. Homines autem boni videntur etiam in hac vita præstare non parva solatia. Nam si paupertas angit, si luctus mœstificat, si dolor corporis inquietat, si contristat exilium, si ulla calamitas alia vexat; adsint boni homines, qui non solum gaudere cum gaudentibus, verum etiam flere cum flentibus norunt, & salubriter alloqui & colloqui sciunt, plurimum illa aspera leniuntur, relevantur gravia, su-

a Apud Lov. omittitur hic particula negans, quæ reperitur in editionibus aliis & in MSS. propè omnibus.

b Benignianensis codex, quæ plus excruciant adeptum timore amissionis, quàm cupientem ardore adeptionis.

perantur adversa. Sed ille hoc in eis & per eos agit, qui Spiritu suo bonos fecit. E contra si divitiæ circumfluant, nulla orbitas accadat, adsit sanitas carnis, incolumi habitetur in patria, & cohabitent mali homines, in quibus nemo sit cui fides habeatur, à quo non dolus, fraus, iræ, discordiæ, insidiæ timeantur atque sustineantur; nonne illa omnia fiunt amara & dura, nec aliquid lætum vel dulce est in eis? Ita in quibuslibet rebus humanis nihil est homini amicum sine homine amico. Sed quotusquisque talis invenitur, de cujus animo & moribus sit in hac vita certa securitas? Nam sicut sibi quisque, nemo alter alteri notus est; & tamen nec sibi quisque ita notus est, ut sit de sua crastina conversatione securus. Proinde quàmvis ex fructibus suis multi cognoscantur, & alii quidem bene vivendo proximos lætificent, alii malè vivendo contristent, tamen propter humanorum animorum ignota & incerta, rectissimè Apostolus admonet, ut non ante tempus quidquam judicemus, donec veniat Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordis, & tunc laus erit unicuique à Deo.

5. In iis igitur vitæ hujus tenebris, in quibus peregrinamur à Domino, quamdiu per fidem ambulamus, non per speciem, desolatam debet se christiana anima reputare, ne desistat orare: & Scripturarum divinarum sanctarumque sermoni discat, tamquam lucernæ in obscuro loco positæ, fidei oculum intendere, donec dies luceat, & lucifer oriatur in cordibus nostris. Hujus enim lucernæ quidam fons ineffabilis lumen illud est, quod sic lucet in tenebris, ut non comprehendatur à tenebris, cui videndo, fide corda mundanda sunt. *Beati*

1. Cor. 4. 5.

2. Cor. 5. 6.

7.

2. Petri. 1. 19.

Matt. 5. 8. enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; & : Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Tunc erit vera vita post mortem, verumque solatium post desolationem. Illa vita eximet animam nostram de morte, & illud solatium oculos nostros à lacrymis. Et quoniam ibi jam non erit ulla tentatio, ideo sequitur in eodem Psalmo, *pedes meos à lapsu.* Porrò si nulla tentatio, jam nulla oratio: non enim ibi adhuc erit promissi boni expectatio, sed redditi contemplatio: unde, *Placito*, inquit, *Domino in regione vivorum;* ubi tunc erimus, non in deserto mortuorum, ubi nunc sumus. *Mortui enim estis*, ait Apostolus, *& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Hæc est enim vera vita, quam jubentur bonis operibus apprehendere divites: & ibi est verum solatium, quo solatio nunc vidua desolata, etiam quæ filios & nepotes habet, & domum suam piè tractat, agens cum omnibus suis ut ponant in Deo spem suam, dicit tamen in oratione: *Sit tibi tibi anima mea, quàm multipliciter tibi & caro mea, in terra deserta & sine via & sine aqua;* quod est ista moribunda vita, quibuslibet mortalibus solatiis frequentetur, quibuslibet itinerantibus comitetur, quantalibet rerum copia cumuletur: nosti quippe ista omnia quàm incerta sint. Et in illius promissæ felicitatis comparatione quid essent, etiam si incerta non essent?

6. Hæc dixi, quoniam sermonem meum vidua dives & nobilis, & tantæ familiæ mater, de oratione quæstisti, ut etiam tecum in hac

hac vita permanentibus & obsequentibus tuis, te sentias desolatam, nondum utique apprehensa illa vita, ubi est verum certumque solatium, ubi implebitur quod in prophetia dictum est: *Satiati sumus manè misericordia tua & exultavimus & jocundati sumus in omnibus diebus nostris. Jocundati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.*

7. ANTEQUAM ergo ista consolatio veniat, quantacumque temporalium bonorum felicitate circumfluas, ut persistas in orationibus die ac nocte, desolatam te esse memineris. Non enim Apostolus qualicumque viduæ hoc munus tribuit, *sed quæ verè*, inquit, *vidua est & desolata, speravit in Domino, & persistit in orationibus die ac nocte.* Quod verò sequitur, vigilantissimè cave: *Quæ autem in deliciis agit, vivens mortua est.* Agit enim homo in iis quæ diligit, quæ pro magno appetit, quibus beatum se esse credit. Quapropter quod Scriptura dixit de divitiis: *Divitiæ si affluant, ne apponatis cor;* hoc etiam de deliciis tibi dico: *Deliciæ si affluant, ne apponas cor.* Non ideo te magnipendas, quod non desunt, quod affatim suppetunt, quod velut ex fonte largissimo terrenæ felicitatis fluunt. Omnino hæc in te despice atque contemne, nec in iis quidquam requiras præter integram corporis valetudinem. Hæc enim contemnenda non est propter necessarios usus vitæ, antequam mortale hoc induatur immortalitate, hoc est, vera & perfecta & perpetua sanitate, quæ non terrena deficiens infirmitate, corruptibili voluptate reficitur, sed cælesti firmitate persistens, æterna incorruptione vegetatur. Nam & ipse Apostolus: *Carnis*, inquit,

TOM. VI.

κ

pro-

Ps. 89. 14.

CAP. III.

I. Tim. 5. 5.

Ps. 61. 11.

I. Cor. 15. 54.

Rom. 13. 14.

providentiam ne feceritis in concupiscentiis;
 quia gerimus curam carnis, sed ad necessita-
 tem salutis. *Nemo enim unquam carnem suam*
odio habuit; sicut itidem ipse dicit. Hinc est
 enim quod & Timotheum, nimium, sicut ap-
 paret, corporis castigatorem admonet, ut mo-
 dico vino utatur propter stomachum & fre-
 quentes suas infirmitates.

1. Tim. 5.
23.

8. Has ergo delicias, in quibus vidua si
 agit, hoc est, si a delectatione cordis hæret
 atque habitat, vivens mortua est, multi sancti
 & sanctè omni modo caventes, ipsas velut
 matres deliciarum divitias dispergendo paupe-
 ribus abjecerunt, & tali modo in cælestibus
 thesauris tutius condiderunt. Quod si ~~tu~~ de-
 vincita aliquo pietatis officio non facis, tu scis
 quam de iis rationem reddas Deo. Nemo enim
 scit quid agatur in homine, nisi spiritus homi-
 nis qui in ipso est. Nos non debemus ante
 tempus quidquam judicare, donec veniat Do-
 minus, qui & illuminabit abscondita tenebra-
 rum, & manifestabit cogitationes cordis, &
 tunc laus erit unicuique à Deo. Pertinet tamen
 ad vidualem curam tuam, deliciae si affuant,
 ne apponas cor; ne in eis putrescendo moria-
 tur, quod sursum esse debet ut vivat. Te in
 illorum numero deputato, de quibus scriptum
 est: *Vivent corda eorum in sæculum sæculi.*

Psal. 21.
27.

CAP. IV.

9. AUDISTI, qualis ores; nunc audi &
 quid ores; unde me maximè consulendum pu-
 tasti: quoniam te permovet quod ait Apos-
 tolus: *Quid enim oremus sicut oportet nes-
 cimus*; & timuisti ne magis tibi obsit, non
 sic-

Rom. 8. 26.

^a Ita MSS. Gallicani. At Vaticani quatuor, *si in dilectio-
 ne carnis.* Alius Vaticanus, *si dilectione cordis.* Editi ve-
 rò, *si in delectatione carnis.*

sicut oportet orare, quam non orare. Quod
 itaque dici breviter potest: Ora beatam vitam.
 Hanc enim habere omnes homines volunt.
 Nam & qui pessimè & perditè vivunt, nullo
 modo ita viverent, nisi eodem modo se esse
 vel posse fieri beatos putarent. Quid ergo aliud
 oportet te orare, nisi id quod cupiunt & ma-
 li & boni, sed ad quod perveniunt non nisi
 boni?

10. HIC fortasse jam quæras, quid sit CAP. V.
 ipsa beata vita. In qua quæstione multorum
 philosophorum ingenia otiaque contrita sunt,
 qui tamen eam tanto minùs invenire potue-
 runt, quanto minùs ejus fontem honoraverunt,
 eique gratias non egerunt. Priùs itaque adten-
 de, utrùm adquiescendum sit eis, qui dicunt
 eum beatum esse, qui secundùm suam vivit
 voluntatem. Sed absit ut hoc verum esse cre-
 damus. Quid si enim nequiter velit vivere?
 Nonne tanto miserius esse convincitur, quan-
 to faciliùs mala ejus voluntas impletur? Me-
 ritò hanc sententiam etiam ipsi, qui sine cul-
 tu Dei philosophati sunt, respuerunt. Nam
 quidam eorum vir eloquentissimus ait: „Ecce
 „ autem alii non philosophi quidem, sed prom-
 „ pti tamen ad disputandum, omnes ajunt esse
 „ beatos qui vivant ut ipsi velint. Falsum id
 „ quidem, VELLE enim quod non deceat, idem
 „ ipsum miserimum: nec tam miserum est
 „ non adipisci quod velis, quàm adipisci vel-
 „ le quod non oporteat.” Quid tibi videtur?
 Hac verba nonne ab ipsa veritate per quem-
 libet hominem dicta sunt? Possumus ergo hic
 dicere quod Apostolus ait de quodam Pro-
 pheta cretensi, cùm ejus illi sententia placuis-
 set: *Testimonium hoc verum est.*

Cicero in
Hortensio.

Tit. 1. 13.

11. Ille igitur beatus est, qui omnia que
 vult

vult habet, nec aliquid vult quod non decet. Quod si ita est, vide jam quæ homines non indecenter velint. Alius vult conjugari, alius conjugio viduatus deinceps continenter eligit vivere, alius nullum concubitum nec in ipsis nuptiis experiri. Et si aliud hinc alio melius reperitur; nullum tamen istorum possumus dicere indecenter aliquid velle: sic & optare filios, nuptiarum scilicet fructum, & eis qui suscepti fuerint, vitam ac salutem, quo voto plerumque occupatur etiam continentia vidualis: nam etsi spreto conjugio jam non optant etiam filios procreare, optant tamen quos procreaverunt incolumes vivere. Ab hac omni cura immunis est virginalis integritas. Habent tamen omnes caros & caras, quibus non indecenter optant etiam temporalem salutem. Sed cum istam salutem in seipsis, & in eis quos diligunt adepti homines fuerint, num poterimus eos dicere jam beatos? Habent enim aliquid quod non dedecet velle: sed si alia non habent majora atque meliora & utilitatis decorisque pleniora, adhuc à beata vita longè absunt.

CAPUT VI. 12. PLACETNE igitur ut super salutem istam temporalem optent sibi ac suis honores & potestates? Sanè, si ut per hoc consulant eis, qui vivunt sub eis, non propter hæc ipsa, sed propter aliud quod inde fit bonum, decet ea velle: si autem propter inanem fastum elationis pompamque superfluam vel etiam noxiam vanitatis, non decet. Quocirca si optant sibi ac suis etiam sufficientiam rerum necessariorum, de qua sic Apostolus loquitur:
 1. Tim. 6. 6. *Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, sed nec auferre hinc aliquid possumus:*

*mus: victum & tegumentum habentes his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum, & desideria multa stulta & noxia, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est avaritia, quam quidam appetentes à fide erraverunt, & inseruerunt se doloribus multis: hanc ergo sufficientiam non indecenter vult, quisquis vult, nec amplius vult: alioquin non ipsam vult, & ideo nec decenter vult. Hanc optabat, & pro hac orabat qui dicebat: *Divitias & pauperiorem ne dederis mihi: constitue autem mihi quæ necessaria sunt sufficienter, ut ne satiatus mendax efficiar, & dicam: Quis me videt? Aut pauper factus furer, & perjurem nomen Dei mei.* Vides certè & istam sufficientiam non appeti propter seipsam, sed propter salutem corporis, & congruentem habitum personæ hominis, quo habitu non sit inconveniens eis, cum quibus honestè officiosèque vivendum est.*

13. In his itaque omnibus incolumitas hominis & amicitia propter seipsa appetuntur; sufficientia verò rerum necessariorum non propter seipsam, sed propter duo superiora quæri solet, cum decenter quæritur. Incolumitas porrò in ipsa vita ac salute atque integritate animi & corporis constituta est. Itemque amicitia non angustis finibus terminanda est: omnes enim, quibus amor & dilectio debetur, amplectitur, quamvis in alios propensius, in alios suspensius inclinetur: pervenit autem usque ad inimicos, pro quibus etiam orare præcipimur. Ita NEMO EST in genere humano, cui non dilectio, etsi non pro mutua caritate, pro ipsa tamen communis naturæ societate

CAP. VII. debeat. * SED ii nos multum justèque delectant, à quibus vicissim sanctè castèque diligimur. Ista cum habentur, ut teneantur, cum autem non habentur, ut habeantur, orandum est.

14. Hoccinè totum, & hæc sunt omnia quibus beatæ summa vitæ colligitur; an aliquid aliud veritas docet quod his omnibus præferatur? Nam & illa sufficientia, & ipsa incolumitas, vel propria vel amicum quamdiu temporalis est, pro aternæ vitæ adeptione abjicienda est: quamquam fortasse corpus, ANIMUS VERÒ NULLO MODO SANUS existimandus est, qui non temporalibus aterna præponit. Neque enim in tempore utiliter vivitur, nisi ad comparandum meritum quò in aternitate vivatur. Ad illam ergo unam vitam, qua cum Deo & de Deo vivitur, cetera quæ utiliter & decenter optantur, sine dubio referenda sunt. In eo quippe nosmetipsos diligimus, si Deum diligimus: & ex alio præcepto proximos nostros sicut nosmetipsos ita verè diligimus, si eos ad Dei similem dilectionem, quantum in nobis est, perducamus. Deum igitur diligimus propter se ipsum, & nos ac proximos propter ipsum: nec cum ita vivimus, jam nos in ipsa beata vita constitutos existimamus, quasi nihil sit amplius quod oremus. Quomodo enim jam beatè vivimus, cum illud adhuc desit, propter quod unum bene vivimus?

CAP. VIII.

15. UT quid ergo per multa dispergimur, & quærimus quid oremus, timentes ne fortè sicut non oportet oremus, ac non potius cum Psalmo dicimus: *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut habitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ: ut contempler delectationem Dei, & visitem templum ejus?* Ibi namque omnes dies non veniendo & transeun-

do

do fiunt omnes, nec initium alterius est finis alterius; omnes sine fine simul sunt, ubi nec ipsa vita habet finem, cujus illi dies sunt. Propter hanc adipiscendam vitam beatam ipsa vera Vita beata nos orare docuit, non in multiloquio, tamquam eo fiat ut exaudiamur, quo loquaciores sumus, cum eum oremus qui novit, sicut ipse Dominus ait, quid nobis necessarium sit, priusquam petamus ab eo. Unde mirum videri potest, quamvis multiloquium prohibuerit, cur nos sic orare adhortatus sit, qui novit quid nobis necessarium sit priusquam petamus ab eo, ut diceret: *Oportet semper orare, & non deficere.* Viduæ cujusdam proposito exemplo, quæ de suo adversario cupiens vindicari, judicem iniquum sæpe interpellando flexit ad audiendum, non justitia vel misericordia permotum, sed tædio superatum: ut hinc admoneremur, quàm certius nos exaudiat misericors & justus Dominus Deus sine intermissione orantes, quando illa nec ab iniquo & impio judice potuit assidua interpellatione contemni: & quàm libens atque placatus bona desideria impleat eorum, à quibus aliena peccata novit ignosci, si quò cupiebat illa pervenit, quæ voluit vindicari. Ille quoque cui amicus de via venerat, nec quod ei apponeret habebat, ab amico sibi tres panes cupiens commodari, quibus fortasse ipsa Trinitas unius substantiæ figurata est, jam cum suis servis dormientem petitor instantissimus & molestissimus excitavit, ut daret ei quantos volebat, magis & ipse vitando tædium quàm benevolentiam cogitando: ut hinc intelligeremus, si dare cogitur qui, cum dormiat, à petente excitatur invitatus; quanto det benignius qui nec dormire novit, & dormien-

Mat. 6. 8.

Lucæ 18. 1.

Lucæ 11. 5.

K 4

mien-

mientes nos excitat ut petamus.
Ibid. 9. 16. Hinc est & illud: *Petite & accipietis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & quærens invenit, & pulsanti aperietur. Aut quis est ex vobis homo, à quo filius suus panem petit, numquid lapidem porrigit ei? Aut si pisces petit, numquid serpentem porrigit illi? Aut si ovum petit, numquid porrigit ei scorpionem? Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris, quanto magis pater vester celestis dabit bona petentibus se? Cum ergo secundum tria illa quæ commendat Apostolus, fides significetur in *pisce*, vel propter aquam baptismi, vel quod in hujus sæculi fluctibus integra est; cui contrarius est ille serpens, qui ut non crederetur Deo, venenosa fraude persuasit: spes in *ovo*, quia vita pulli nondum est, sed futura est, nec jam videtur, sed adhuc speratur; spes enim quæ videtur, non est spes; cui contrarius est scorpionem, quoniam qui sperat æternam vitam, quæ retrò sunt obliviscitur, & in anteriora se extendit; cui noxiùm est retrò respicere; scorpionem autem ex ea parte cavendus est, quam venenatam & aculeatam retrorsum habet: caritas in *pane*: major enim horum caritas; & in cibis utique vincit cetera panis utilitas; cui contrarius est lapis, quoniam dura corda respuunt caritatem: sive aliud aliquid congruentius ista significant; tamen qui novit bona dare filiis suis, petere nos, & quærere, & pulsare compellit.*

Rom. 8. 24.

1. Cor. 13. 13.

17. Quod quare faciat, qui novit, quid nobis necessarium sit, priusquam petamus ab eo, movere animum potest, nisi intelligamus quòd

quòd Dominus & Deus noster non voluntatem nostram sibi velit innotescere, quam non potest ignorare; sed exerceri in orationibus desiderium nostrum, quo possimus capere quod præparat dare. Illud enim valde magnum est, sed nos ad capiendum parvi & angustissimi sumus. Ideo nobis dicitur: *Dilatamini, ne sitis jugum ducentes cum infidelibus.* Tanto quippe illud quod valde magnum est, quod nec oculus vidit, quia non est color; nec auris audivit, quia non est sonus; nec in cor hominis ascendit, quia cor hominis illuc debet ascendere; sumemus capaciùs, quanto id & fideiùs credimus, & speramus firmiùs, & desideramus ardentius.

2. Cor. 6.

14.

1. Cor. 2. 9.

CAP. IX.

18. IN ipsa ergo fide, & spe, & caritate continuato desiderio semper oramus. Sed ideo per certa intervalla horarum & temporum etiam verbis rogamus Deum, ut illis rerum signis nos ipsos admoneamus, quantumque in hoc desiderio profecerimus nobis ipsis innotescamus, & ad hoc augendum nos ipsos acriùs excitemus. DIGNIOR enim sequetur effectus, quem ferventior præcedit affectus. Ac per hoc & quod ait Apostolus: *Sine intermissione orate*; QUID EST ALIUD quàm beatam vitam, quæ nulla nisi æterna est, ab eo qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderate? Semper ergo hanc à Domino Deo desideremus, & oramus semper. Sed ideo ab alijs curis atque negotijs, quibus ipsum desiderium quodam modo tepescit, certis horis ad negotium orandi mentem revocamus, verbis orationis nos ipsos admonentes in id, quod desideramus, intendere, ne quod tepescere cœperat, omnino frigescat, & penitus exstinguatur, nisi crebriùs in-

1. Thess. 5.

17.

Phil. 4. 6. inflammetur. Unde & illud quod idem Apostolus ait: *Postulationes vestrae innotescant apud Deum*; non sic accipiendum est, tamquam Deo innotescant, qui eas & antequam essent utique noverat; sed nobis innotescant apud Deum per tolerantiam, non apud homines per jactantiam. Aut fortè etiam innotescant Angelis qui sunt apud Deum, ut quodam modo eas offerant Deo, & de his consulant, & quod eo jubente implendum esse cognoverint, sicut oportere ibi cognoverint, hoc nobis vel evidenter vel latenter appor-
Tob. 12. 12. tent. Dixit enim Angelus homini: *Et nunc quando orabas tu, & Sara, ego obtuli orationem vestram in conspectu claritatis Dei.*

CAPUT X.

19. QUÆ cum ita sint, etiam cum diu orare vacat, id est, cum alia bonarum & necessariorum actionum non impediuntur officia, quamvis & in eis, ut dixi, desiderio illo semper orandum sit, non est improbum nec inutile. Neque enim, ut nonnulli putant, hoc est orare in multiloquio, si diutius oretur. Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Nam & de ipso Domino scriptum est, quod pernoctaverit in orando, & quod prolixius oraverit: ubi quid aliud quam nobis præbebat exemplum, in tempore precator opportunus, cum Patre exauditor æternus?

Lucæ 6. 12.

20. Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas, & raptim quodam modo jaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras evanescat atque hebetetur intentio. Ac per hoc etiam ipsi satis ostendunt, hanc intentionem, sicut non est obtundenda, si perdurare non potest, ita si perduraverit, non citò esse rum-

rumpendam. Absit enim ab oratione multa loquutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseverat intentio. Nam multum loqui, est in orando rem necessariam superfluis agere verbis. Multum autem precari, est ad eum, quem precamur, diuturna & pia cordis excitatione pulsare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus quam sermonibus agitur, plus fletu quam affatu. Ponit autem lacrymas nostras in conspectu suo, & gemitus noster non est absconditus ab eo, qui omnia per Verbum condidit, & humana verba non quarit.

21. NOBIS ergo verba necessaria sunt, quibus commoneamur, & inspiciamus quid petamus, non quibus Dominum seu docendum, seu flectendum esse credamus. Cum ergo dicimus: *Sanctificetur nomen tuum*; nos ipsos admonemus desiderare, ut nomen ejus quod semper sanctum est, etiam apud homines sanctum habeatur, hoc est, non contemnatur: quod non Deo, sed hominibus prodest. Et in eo quod dicimus: *Adveniat regnum tuum*; quod seu velimus, seu nolimus, utique veniet, desiderium nostrum ad illud regnum excitamus, ut nobis veniat, atque nos in eo regnare mereamur. Cum dicimus: *Fiat voluntas tua sicut in celo & in terra*; nobis ab illo precamur ipsam obedientiam, ut sic à nobis fiat voluntas ejus, quemadmodum fit in cælestibus ab Angelis ejus. Cum dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; per id quod dicitur *hodie*, significatur hoc tempore, ubi vel illam sufficientiam petimus, à parte quæ excellit, id est, nomine panis totam significantes; vel sacramentum fidelium, quod in hoc tempore ne-

CAPUT XI.
 Expositio
 orationis
 dominicæ.
Matt. 6. 9.
Lucæ 11. 2.

ces-